

---

---

## Quaenam res arctiori inter Graecas civitates conditioni fuerint impedimento.

### Prooemium.

Nobis de statu Graecarum civitatum politico ejusque caussis exposituris non ab re fore visum est, pauca de jure hominum et civitatum disputare et πολιτικῆς fundamenta breviter adumbrare, quae norma quasi essent ad dijudicandam Graecorum politicam rationem adhibenda.

Omnium primum eorum nobis prava videtur sententia, qui jus naturale nullum, et pro caussis, quibus homines congregentur et civitates constituentur, metum mutuum et omnibus insitum propriae utilitati inserviendi appetitum esse perhibent: quae ratio sane non magis falsa, quam hominis naturali conditione indigna est. Nam naturalis juris origo atque mater, Hugo Grotius \*) inquit, ipsa humana natura est, quae nos, etiamsi re nulla indigeremus, ad societatem mutuam appetendam ferret. Cuique homini e naturae sinu proficiscenti una cum vita naturale quoddam jus tribuitur, quod sicut vita ex naturae lege ejus proprium est, et quamquam ratione humana, cujus praecepta cum naturae lege consentiant necesse est, agnoscitur, non tamen solà nititur illà. Refellendus itaque est error iste multorum philosophorum, cum recentium tum superiorum, \*\*) longe lateque diffusus et e pravo aliquo id, quod legibus comprobatum sancitumque est, cum jure ipso permutandi studio enatus, in statu naturali omnibus laedendi voluntatem inesse atque bellum omnium contra omnes dominari et jus tum demum nasci, cum homines necessitate coacti vel commodi causa societatem ineant, civitatis nomine appellatam: quae juris principia omnem profecto in animis nostris informatam juris notionem tollant necesse est. Nullo tamen negotio istius modi errorum auctores convinci posse jam inde liquet, quod vel e communi consensu profecta pactio nisi cum naturali jure conjuncta homines obstringere non potest. Civitatis autem prima atque summa virtus in eo spectatur, quod solivagos homines congregat et cum communi *juris civilis*, naturali jure nixi, vinculo conjungit: nam ut omnia inter se humani corporis membra consentiunt et rationi moderatrici parent, ita in civitate omnes cives ad illam tranquillam et pro omnium intellectu temperatam ordinatamque societatem et legibus obtemperatam adducti sunt, sine qua hominis vires perfici et constitui nullo modo possunt. Sicut autem singuli homines, etiam reipublicae vinculo non conjuncti, jure praediti sunt, ita civitas, quae sua inter alias civitates conditio est, minime expers est juris, quod naturà nulladum cum aliis civitatibus inita societate tenet. Hoc nisi verum esset, bellum perpetuum inter civitates naturaliter iis innatum nobis statuendum esset, id quod juris, quam supra proposuimus notioni adversatur, e qua bellum laesi juris aut caussam aut effectum esse patet. Civitates igitur eadem ratione, quâ omnes singuli unius civitatis socii communi juris civilis vinculo continentur, mutuâ naturalis juris confirmatione in unum quasi corpus coalescunt: et sicut cujusque civitatis jura suae totius civitatis utilitatem respiciunt, ita inter civitates jus quoddam nascitur, quod utilitatem respicit non singularum civitatum, sed magnae illius civitatum universitatis: et hoc *jus* est, quod *civitatum* seu *gentium* dicitur, et hoc in jure omnia inter civitates foedera inita et pactiones sunt constitutae. Quae cum ita sint, jam facile apparebit, illam de *domestica externaque civitatum conditione doc-*

---

\*) de jure belli ac pacis libri III. Amstelod. 1667. Prolegomena, pag. IV.

\*\*) cf. Thomas Hobbes. Elementa philosophica de cive Cap. I. §§. 2. 3. 4.

trinam, πολιτικῆς nomine appellatam, summas leges suas non tam ad singulorum coetium, quam ad universitatis commodum referre, et totius civitatum societatis sequi consilium.

Jam his quam fieri potuit brevissime expositis veniendum est ad ipsam quaestionem nobis propositam, qua persoluta Graecarum civitatum statum politicum cum iis, quae de jure civitatum disputavimus, plane discrepare atque omnium imperfectissimum esse apparebit. Quod ad nomen attinet πολιτικῆς id a Graecis de domesticis tantum civitatum rebus constituendis adornandisque adhibitum est, et ita non minus a Platone de *Callipoli*, quam pro exemplari rerum publicarum omnium proposuit, usurpatur, quam ab Aristotele, cui πολιτικὴ philosophiae practicae (τῆς περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφίας) trifariam divisae (in ἠθικά, πολιτικά, οἰκονομικά) pars est, doctrinam de hominibus, eorum institutis omnibusque rebus, quae civitatis vinculo continentur complectens.

## I.

## Graeciae status ante Dorum migrationem.

Prusquam de Graecarum civitatum ratione politica, qualis florente Graecorum statu fuit, disputamus, pauca nobis de priorum temporum conditione et de locorum facie situque, quae fundamenta praebent nostrae quaestioni, praemittenda sunt. Graecia e septentrionibus magna quasi peninsula, cum adjacentibus insulis minoribus ML. fere milliaria Germanica quadrata continens, in meridiem porrigitur. Ora maritima circuitu DCCXX milliaria German.<sup>1)</sup> patens, sinubus et promontoriis insignibusque apprime peninsulis ita est variata ac distincta, ut altera alteram exciuiat.<sup>2)</sup> Inde factum est, ut Graeci jam antiquissimis temporibus navigationi se committerent, et, sicut omnes fere gentes olim mari vicinae, piraticam exercerent: et hoc quidem eos nullā inde redundante ipsis ignominia fecisse testatur Homerus (Od. III. 71 sqq.), ubi Nestorem advenas ita alloquentem facit:

„ὦ ξείνοι τίνες ἐστε; πόθεν πλεῖθ' ὕγρα κέλευθα;  
ἢ τι κατὰ προῆξιν, ἢ μαριδίως ἀλάλησθε,  
οἷά τε ληϊστῆρες, ὑπεῖρ ἄλλα, τοῖτ' ἀλώονται  
ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἄλλοδαποῖσι φέροντες“;<sup>3)</sup>

Hoc modo et inter se, qui piraticam exercebant, depraedabantur, et ceterorum eos, qui rerum maritimarum non periti littus accolebant (cf. Thuc. I. 7): quam ob causam, dum ista latrocinia vigeant, urbes remotius a mari condebantur (cf. Thuc. I. l. ibique Goellerum). Interiores Graeciae partes montibus arduis atque asperis occupantur, ita ut plurimae regiones, extrinsecus unā vel pluribus partibus mari cinctae, intrinsecus per insuperabiles fere saltus sejungantur: quae locorum natura quum irrupentes hostes aditu intercludit, neque nisi permagno numero se vinci patitur, tum incolis quidquam cum aliarum regionum hominibus commercii esse vetat. Nam arduis saltuosisque montibus multo magis inter se disjungi homines, quam magnis fluviis et maribus, inde apparet, quod, nostra aetate machinis mirum in modum exultis et ad hominum commercium accelerandum accommodatis, regiones trans Caucasum montem sitae multo quam India Orientalis a nobis remotiores sunt.<sup>4)</sup> Incolas autem Graeciae antiquissimis

<sup>1)</sup> cf. Geographische Ephemeriden. 1799. Thl. III. pag. 364.

<sup>2)</sup> cf. Strabonis geograph. libri (ex recensione Isaaci Casauboni. Excudebat Eustathius Vignon. Atrebat. 1587.) lib. VIII. p. 230.

<sup>3)</sup> Thucydides (I. 5.) hunc poetae locum respiciens Ἀηλοῦσι, inquit, δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινες ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δοῦν, καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν, τὰς πύστις τῶν καταπλεόντων πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες (interrogare facientes incolas), εἰ ληϊσταὶ εἰσιν ὡς οὔτε ὧν περὶ θάνατον ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμὲλις εἶη εἶδέναι, οὐκ ὀνειδίζοντων.

<sup>4)</sup> Vide quae hac de re nuper disputavit Carolus Ritter, vir celeberrimus, in libello in Academicorum Berolinensium coetu exhibito: Ueber die historischen Elemente der geographischen Wissenschaft. Berlin. Gedruckt in der Druckerei der königl. Akademie der Wissenschaften. 1834.

temporibus inimicitias atque bella inter se exercuisse et soluta neque certis legibus adstricta vivendi ratione fuisse, Thucydides auctor est (I. 6). Maxime hoc loco memorandae sunt irruptiones in alias regiones factae, ubi proprius pagus vel ob hominum incrementum, vel ob soli sterilitatem (*διὰ τὸ λεπτόγειον*) incolas non jam continuit aliaeque regiones foecunditate magis allicientes agmina ferocia invitarunt (vide hac de re Thucydidem I. 2, *φαίνεται γὰρ, ἢ νῦν Ἑλλάς καλουμένη οὐ πάλαι βεβαίως οἰκουμένη, ἀλλὰ μεταναστάσεις τε οὔσαι τὰ πρότερα, καὶ ῥαδίως ἕκαστοι τὴν ἐαυτῶν ἀπολείποντες, βιαζόμενοι ὑπὸ τινων ἀεὶ πλείονων*).

Graecia quamquam coeli temperiem longe praestantissimam sortita erat, minime tamen omnibus locis soli ubertate initio excelluit, sed maxima ejus pars ea, non dicam, quae ad luxuriose vivendum, sed quae ad vitae necessitatem pertinent, nisi strenuis incolentium laboribus subacta, non suppeditavit. Vere igitur Thucydides (I. 123) *Πάτριον γὰρ ἡμῶν, ἢ τῶν πόνων τὰς ἀρετὰς κτᾶσθαι*.<sup>5)</sup> et Strabo<sup>6)</sup> — *οἱ Ἕλληνες ὄρη καὶ πέτρας κατέχοντες, ὄκον καλῶς διὰ πρόνοιαν τὴν περὶ τὰ πολιτικὰ καὶ τὰς τέχνας, καὶ τὴν ἄλλην σύνεσιν τὴν περὶ βίον*. Omnia vero, quae labore viriumque contentione parantur, hominibus cara sunt, neque iis, nisi per vim eripi possunt. Itaque jam antiquissimis temporibus singularum Graeciae regionum incolae hunc in finem convenere, ut vitam sibi et bona invicem tuerentur, et quo melius id possent, et quo magis inter se juncti essent, principis, qui, sicut paterfamilias familiae, familiarum gentiumque societati praesesset, auctoritati sequuti sunt: et hoc modo orta esse videntur heroicae aetatis regna, quae, ut e multis Homeri aliorumque locis colligi potest, regia potestate hereditaria, certis honoribus definita,<sup>7)</sup> continebantur. Haec regna post bellum Trojanum fere conversa sunt in democratias, et in his postea tyranni exstiterunt, ex populi ductoribus facti,<sup>8)</sup> ut Orthagoras Sicyone (Olymp. XXVII.), Cypselus Corinthi (Olymp. XXXI.), Pisistratus Athenis (Olymp. LIV, 4 et LX, 1) multique alii, quos vide apud Wachsmuthium I. I. p. 274 — 279.

Ex his, quae veterum scriptorum auctoritatem sequuti de pristino Graecorum statu disputavimus, apparet, eum minime talem fuisse, qualem ex juris notione inter civitates certis legibus constitutas esse debere supra demonstravimus: et haec quidem res Graecis cum omnibus populis, qui propius a statu naturali absunt, communis est. Quemadmodum autem factum sit, ut insequenti tempore status politici e juris notione deprompti participes non fierent, tribus his capitibus exponemus, quorum primum erit de migrationibus extrema aetate heroica factis: alterum eum, qui inde natus est rerum statum adumbrabit: tertium confirmatae Graecorum disjunctionis causas quasdam remotiores indagabitur.

## II.

Jam progredimur ad ea tempora, quibus per omnes fere Graeciae regiones magna rerum commutatio facta est, e migrationibus illis Graecarum gentium, quibus heroica tempora, Homeri clarissimo ingenio celebrata, terminantur, enata. Maximis tum Graecia concussa est motibus et nusquam fere pristinus ille status mansit. Per hostes irrupentes plurimae regiones occupatae, et incolae vel subacti sunt, vel, si libertatem externam servitudini domesticae anteferebant, e finibus ejecti in aliorum regiones migrarunt, eandem vim, quam ipsi passi erant, his inferentes: et hoc occupandi genere semina sparsa sunt, quae nullos profecto nisi discordiarum bellorumque perpetuos fructus proferre potuerunt. Prima commutationum initia jam ex adversa multorum heroum fortuna, qui reduces e bello Trojano vel in ipso itinere occubuere, vel domi mala caede interiire, vel sedibus expulsi in alias terras se converterunt (cf. Strab. lib. III, p. 103 editionis primae Casaubon. 1587.) profecta sunt. Longe maximi autem momenti migrationes erant, quae in regionibus septentrionalibus ortae per totam manarunt Graeciam. Thessalorum gens e Thesprotia ad orientem versus in regionem migrarunt, quam perfluit Peneus eamque, Boeotis, Aeolica gente, inde expulsis, suo

<sup>5)</sup> cf. Demarati verba apud Herodotum VII. 102 et interpret. ad h. l.

<sup>6)</sup> ed. Casaub. (1587) lib. II. p. 87.

<sup>7)</sup> cf. Wachsmuth *hellenische Alterthumskunde* I. I. pag. 83, 85.

<sup>8)</sup> cf. Aristotelis *Politic.* ed Goettling lib. V. 4 p. 161.

nomine Thessaliam nominarunt<sup>1)</sup>: Boeoti in terram, quam antea jam tenuere (cf. Thuc. I. 12. Strab. IX pag. 276<sup>2)</sup>), et postea a se Boeotiam appellarunt, profecti sunt, et iis Cadmaeorum omnes, qui domi servitia subire nollent, Minyae Orchomenii (Strab. IX pag. 285 sq.), Thraces (diversi ab illis Thraciae septentrionalis incolis barbaris. Thuc. II. 29. Strab. IX pag. 270, 282), Pelasgi (Strab. IX. p. 277) ante a Cadmaeis pulsi multique alii cesserunt aliasque sibi sedes quaesiverunt.<sup>3)</sup> Quomodo cum his migrationibus cohaereat quae octogesimo fere anno post Trojam captam sequuta est Heraclidarum vel Dorum in Peloponnesum migratio parum liquet<sup>4)</sup>: eam vero consequitas esse maximas mutationes, atque ex ea potissimum recentiore Graecarum civitatum statum esse profectum, cuius in Graecorum res gestas intuenti in promptu est. Tum Achaeci ex Laconica pulsi eas occupavere sedes, quas per totam antiquitatem obtinebant: Jones ex his Achaeorum impetu ejecti in Atticam migrarunt, et subsequenti tempore (Herod. I. 146.) cum magna hominum vi, ut paullo ante Aeolii, in Asiam se effuderunt, ubi nobilissimam orae maritimae partem occupaverunt et citius, quam ii, a quibus exierant, opibus, artibus atque litteris effluerunt. In Peloponneso tum ab Heraclidis regna condita sunt (Mueller die Dorianer I. p. 62—65): Atridarum terras, Argolidem, Laconicam et Messeniam, quarum omnium Tisamenes, Orestis filius, haeres factus erat (Strab. VIII. p. 253, Euripid. Orest. v. 1649. Pausan. II. 18. 5, de Messenia Diodor. XV. 66: vide tamen Strabonem VIII. p. 247, ubi post Menelai obitum, cum ejus successores vires amisissent, in Nelidarum potestatem venisse Messeniam dicit.) Aristomachi filii possederunt (Temenus Argos, Cresphontes Messeniam et Aristodemi filii Procles et Eurysthenes Laconicam): Oxylus, unus e posteris Aetoli, a Salmoneo Epeorum atque Pisaeorum rege ex Elea ejecti, Elidem majorum suorum jure ad se pertinentem accepit:<sup>5)</sup> Deiphontes Epidauri (Paus. II. 26. 2.), Phalces Sicyone (Paus. II. 6. 4.), Aletes Corinthi (schol. Pind. Ol. XIII. 17.) Dorica regna instituerunt.

### III.

Quae inde sequuta sunt tempora usque ad saeculum septimum ante Christum natum aliqua ex parte cum aeo Germanicorum populorum quod dicunt medio comparari possunt: quamquam enim, quomodo hac aetate recentiora tempora cum pristinis illis conjuncta sint et connexa plane fere ignoramus, omnia tamen principia, quae pristinus ille status continuit, per haec tempora ad certas quasdam rationes revocata et magis magisque exulta sunt, donec

<sup>1)</sup> Herod. VII. 176. Boeckhii corpus inscriptionum I. p. 717.

<sup>2)</sup> Vide tamen C. O. Muellerum: *Orchomenos* und die *Monier* p. 391. qui nullos, dicit, belli Trojani tempore Boeotos fuisse in Boeotia, quae serius dicebatur: atque Thucydidem, ut Homeri, Boeotos jam totius Boeotiae praeter Orchomenum et Aspledonem dominos facientis, cum historicis repugnantiam removeret, excogitasse, partem certe Boeotorum, unde erant, qui expeditionem Trojanam sequerentur, jam tum in Boeotia fuisse. cf. Goellernum in Argumento lib. I. Thuc.

<sup>3)</sup> De Aegidis Spartae receptis vid. Herod. IV. 149: de Gephyraeis Athenis Herod. V. 57 sq.: de Cadmaeis, Minyis et Abantibus Jonum atque Dorum in Asiam migrantium sociis Herod. I. 146: de Minyis in Lemno insula, deinde in Triphylia habitantibus Herod. IV. 148, VIII. 73: de Pelasgis in Attica Strab. IX. pag. 277.

<sup>4)</sup> De Dorum migratione ante frustra tentata vid. Herod. IX. 26; de sedibus, quas diversis temporibus tenuere, Herod. I. 56.:

*Ἱστορίων δὲ ὁ Κροῖσος εὗρεκε Λακεδαιμονίους καὶ Ἀθηναίους προέχοντας, τοὺς μὲν τοῦ Δωρικοῦ γένους, τοὺς δὲ τοῦ Ἰωνικοῦ. ταῦτα γὰρ ἦν τὰ προκεκριμένα ἔθνη τὸ ἀρχαῖον τὸ μὲν, Πελασγικόν τὸ δὲ Ἑλληνικὸν ἔθνος. καὶ τὸ μὲν, οὐδαμῆ καὶ ἐξέχωρησε. τὸ δὲ, πολυπλάγητον κάρτα. ἐπὶ μὲν γὰρ Δευκαλίωνος βασιλῆος οἴκει γῆν τὴν Φθιώτιν· ἐπὶ δὲ Δωῶρον τοῦ Ἑλλήνος, τὴν ἐπὶ τὴν Ὀσσάν τε καὶ τὸν Οὐλύμπον χώραν καλεομένην δὲ Ἰστιαίωτιν· ἐκ δὲ τῆς Ἰστιαίωτιδος ὡς ἐξάνεστη ὑπὸ Καδμείων, οἴκει ἐν Πίνδῳ, Μακεδόνων καλεούμενον. ἐνθεν εἶπεν δὲ αὐτὸς ἐς τὴν Ἀρνοπίδα μετέβη, καὶ ἐκ τῆς Ἀρνοπίδος οὕτως ἐς Πελοπόννησον ἔλθὼν, Δωρικὸν ἐκλήθη. (cf. interprett. ad h. l.) et C. O. Mueller die Dorianer I. p. 17 sqq.*

<sup>5)</sup> aliter Herodotus VIII. 73. Peloponnesi — τὰ δὲ λοιπὰ ἔθνη τῶν ἐπὶ τέσσαρα (Achaecis, Pelasgis in Arcadia et Cynuriis exceptis) ἐπιλήδιά ἐστι, Δωριεῖς τε καὶ Αἰτωλοὶ, καὶ Ἀργυῖοι καὶ Ἀθήνιοι. Δωριέων μὲν πολλοὶ τε καὶ δόκιμοι πόλεις· Αἰτωλῶν δὲ Ἥλις μόνη. κ. τ. λ.

ille praeclarissimus recentioris Graeciae status effloruit, qui rebus suis gestis, artibus et litteris omnem posteritatem summa affectit admiratione afficietque. <sup>1)</sup> Verumtamen illud occupandi genus minime ejusmodi erat, quod homines quietos atque inermes agere pateretur.

Compositis enim ex illa gravissima post Dorum migrationem perturbatione Graecorum rebus viribusque receptis, in omnibus fere civitatibus hoc incensum est studium, ut aut bello parta firmarent atque bellis recentibus auferent, aut immigrantium impetu erepta quopue modo repeterent: et ita factum est, ut plures civitates, opibus comminutis attritisque sine ulla auctoritate atque vi essent, vel penitus everterentur. Haec multorum minorum imprimis civitatum sors erat, quae armis vel discordiis civilibus, a potentioribus illatis, subactae pacem amissa libertate redimebant. Quod autem maxime ad Graecorum res disjungendas valuit singularum inter se urbium conditio erat, quae, priscis illis regnis ubique fere eversis ac rebus publicis a regia dominatione in populi libertatem vindictis, pro se quaeque cum vicinarum urbium damno, ut sui juris fierent atque civitates efficerent, summopere studebant. <sup>2)</sup> Quo factum est, ut et oppidorum, quae heroica aetate pauca erant, numerus tum mirum in modum auferetur, <sup>3)</sup> et concordia inter ejusdem gentis socios, quae vigeat, dum singulae gentes in pagis conjunctae vivebant, dissolveretur. Privatae utilitatis ratio ita omne communis Graeciae salutis defendendae studium ad id tempus superstes delevit, neque mirum est, commune inter Graecas civitates jus, nisi in quibusdam minoris momenti rebus, <sup>4)</sup> non valuisse. (cf. Wachsmuth de jure gentium, quale obtinuerit apud Graecos etc. Kiliae 1822.)

In singulis civitatibus alterius civitatis civis juris expers erat, atque proprius et naturalis inter civitates status bellum perpetuum erat, qui certis tantum temporibus ad sacra totius gentis propria celebranda, praeconibus hunc in finem missis, per dies solemnes tollebatur: quae a bello cassatio (*ἱερομηνία, ἐξεχειρία* — cf. Strabo VIII. p. 237 et Casaubon. ad h. l. p. 128 — *σπονδαί* — Aeschin. de fals. legat. 4.) sicut per medium aevum treuga dei certis sanctisque legibus constituta erat, et nisi poena proposita non poterat turbari (cf. Thucyd. V. 49. — *Λακεδαιμόνιοι τοῦ ἱεροῦ ὑπο' Ἑλλήων εἰρχθῆσαν, ὥστε μὴ θύειν, μηδ' ἀγωνίζεσθαι, οὐκ ἐκτινοντες τὴν δίκην αὐτοῖς, ἦν ἐν τῷ Ὀλυμπιακῷ νόμῳ Ἑλλῆοι κατεδικάσαντο αὐτῶν, φάσκοντες, σφᾶς ἐπὶ Φύρκον τε τεῖχος ὄπλα ἐπενεγκεῖν, καὶ εἰς Λέπρεον αὐτῶν ὀπλίτας ἐν ταῖς Ὀλυμπιακαῖς σπονδαῖς ἐσπέμψαι. κ. τ. λ.*)

Ex his jam intelligi potest, jus gentium quale obtinuerit apud Graecos, quod etiamsi bellorum cum Persis gestorum temporibus paullo perfectius esse videtur, nunquam tamen, florente Graecorum statu, hunc in modum excultum est, ut, non dicam, omnes civitates adversus externos hostes conjunctae starent, sed ne temperarent quidem sibi, quo minus inter se bella crudelissima ac vere interneciva gererent. Maxime autem disjunctus ille Graecorum status politicus spectatur in conditione, quae inter colonias et origines, et inter singulas ejusdem originis colonias intercedebat: hic non de iis coloniis loquimur, quae secessione aliqua conditae sunt, sed quae consilio publico et omni ritu servato <sup>5)</sup> domo exierunt: non enim solum sibi invicem, sicut pro tali conditione expectandum erat, opem non ferebant, cum vel origini vel coloniae bellum illatum esset ab hostibus externis, sed ne inter se

<sup>1)</sup> cf. Ideen über Homer und sein Zeitalter. Eine ethisch-historische Abhandlung von K. E. Schubarth. 1821. Verlag von Josef Mar in Breslau.

<sup>2)</sup> cf. Thucyd. IV. 112. *Πρὸς τε γὰρ τοῖς ἀστυγέτοισι πᾶσι τὸ ἀντίπαλον καὶ ἐλεύθερον καθίσταται.* Ex illa etiam plurimarum civitatum Graecarum recentiorum origine enata est consuetudo eodem nomine et urbem et civitatem appellandi. cf. Wachsmuth Hellen. A. R. I. 1. pag. 100 et 317.

<sup>3)</sup> Wachsmuth l. l. I. I. pag. 100 adn. 4.

<sup>4)</sup> Ejusmodi erant: *praeconum sanctitas* (cf. Harless. de praeconibus apud Graecos. Jenae 1765), *jus hospitii* (cf. Ullrich de Proxenia P. I. Berol. 1822. 8), *templorum sanctitas* (cf. Thuc. IV. 97). — *Πᾶσι γὰρ εἶναι καθεστῆκος, ἰόντας ἐπὶ τὴν ἀλλήλων, ἱερῶν τῶν ἐνόντων ἀπέχεσθαι.* Alia, sicut conciones ad sacra solemnia celebranda, *πανηγύρεις* dictae, *ἀμφικτυονίαι, συμμυζίαι* partim minoris momenti erant, quam quae deficientis communis juris partes explere possent, partim in breve tantum tempus, sicut praesens commodum postulabat, erant constituta: et quae *ἡγεμονία* dicitur societas magis ad dirimendos quam ad reconciliandos sociorum animos valuit.

<sup>5)</sup> cf. Karl Friedrich Hermann's Lehrbuch der griechischen Staatsalterthümer aus dem Standpunkt der Geschichte entworfen. Heidelb. bei S. C. B. Mohr. 1831. Cap. IV. §. 75.

quidem bello abstinebant. <sup>6)</sup> Quam laxis autem vinculis ejusdem originis coloniae inter se junctae fuerint, coloniarum in Asia conditarum exemplum docet, quae non modo inter se crebra bella gesserunt, <sup>7)</sup> sed etiam singulae se a barbaro hoste superari passae sunt: <sup>8)</sup> ita ut Thales Milesius, frustra quidem, Persis appropinquantibus commune inter Joniae urbes ad bellum defendendum foedus civibus suaserit. <sup>9)</sup>

#### IV.

Quamquam caussae disjuncti Graecorum status politici, quas indicavimus, graves et haud sane inefficaces habendae sunt, minime tamen iis solis ille perfecti gentium juris et communis vinculi defectus tribui potest: atque nobis de alio praeterea hujusce rei fonte quaerentibus *religionis status*, qualis apud Graecos obtinuit, ejusmodi esse visus est, qui ad illam conditionem efficiendam confirmandamque multum contulerit. Fabulae, a poetis excultae et in artis formam redactae, quamquam pulcri sensum atque amorem hominibus injicere poterant, nihil tamen habebant, quod nisi per mediam quasi manum, ut cum Quintiliano loquamur, ad mores excolendos vitamque formandam proficeret: non majoris momenti deorum cultus ipse erat, cum solâ votendi, dedicandi, precandi et sacrificandi scientiâ omnis sacerdotum vis constaret: et mysteria erudiendis hominum ingeniis instituta et a sacris publicis quidquam diversa fuisse, historiae testimoniis minime evincitur: nulla certe eorum auctoritas perspicua est in vita Graecorum publica, et ut omnes ejusmodi res silendae specie magis quam reapse allexisse videntur. Ex omnibus igitur theologiae generibus (si Jovis et Eumenidum cultum excipias), quibus adnumerandum est et physicum illud genus, quo usi sunt philosophi, nihil fere ad bene honesteque vivendi disciplinam redundavit. Ubi vero haec bene vivendi disciplina ex solâ philosophorum proficiscitur cogitatione neque pars est doctrinae cum religione ipsa artissime conjunctae atque ex illa enatae: hominum immodica sui aestimatio omnia ad praecepta revocat, quae ipsorum tantum cupiditati obnoxia communem utilitatem minime respiciunt: quod studium nusquam magis, quam in Graecarum civitatum inter se conditione cernitur. Hinc etiam factum est, ut apud Graecos vulgus longe inferioris fuerit conditionis, quam nostra aetate amplissimarum urbium sentina. Nam doctrinae de moribus, doctorum tantum et ingenuorum hominum propriae, expertes nullis aliis nisi civitatis legibus hujusce sortis homines obstricti erant. Civitas autem non tam hoc consilium sequebatur, ut singulorum hominum jura tueretur, quod praecipue nostrae aetatis civitates spectant, quam ut totum corpus suum validum atque munitum esset: quam ob causam singuli homines, pro sua quisque parte, ne homines, ne personae quidem juris participes habebantur, nisi etiam corporis illius membra, hoc est, cives erant. Hoc fundamento servitudinis justa ratio apud Graecos atque singularum civitatum civium hostilis conditio et universum gentium jus nitebatur: itaque Aristoteles καὶ πρότερον, inquit, δὴ τῆ φύσει πόλις, ἢ οἰκία καὶ ἕκαστος ἡμῶν ἐστὶ τὸ γὰρ ὅλον πρότερον ἀναγκαῖον εἶναι τοῦ μέρους· ἀναρρομένον γὰρ τοῦ ὅλου, οὐκ ἔσται πὺς οὐδὲ χεῖρ, εἰ μὴ ὁμονύμως, ὥσπερ εἴ τις λέγει τὴν λιθίνην διαφθαρεῖσα γὰρ ἔσται τοιαύτη. κ. τ. λ. (Polit. I. 1. p. 4. ed. Goettling.)

In his nunc quidem subsistam: nam neque otium suppetit ad eas res, quarum summas supra attigi, explicandas, neque harum plagarum ratio ejusmodi est, quae hoc loco rem uberius a me tractari sinat. Quaecunque tamen inde a bellis cum Persis gestis usque ad ea tempora, quibus Achaeorum concilium constitutum est, gesta sunt, semper eadem, quam supra indicavimus, ratio politica apud Graecos obtinuit. Achaeci Graecorum primi fuerunt, qui in rebus suis constituendis communem omnium sociorum utilitatem, quam singulorum magis respiciebant. Sed jam bellis intestinis Graecorum nervi incisi atque fracti et mores luxuria depravati erant, ita ut praedam esse cuilibet externo hosti eorum res necesse esset.

<sup>6)</sup> Ut Coreyra et Corinthus — Thucid. I. 15, Herod. III. 49. sqq. — Megara et Corinthus — Pausan. IV. 20. 9. — Aegina et Epidaurus — Herod. V. 84.

<sup>7)</sup> Chius, Miletus et Erythrae cf. I. 18. καὶ γὰρ δὴ πρότερον οἱ Μιλήσιοι τοῖσι Χίοισι τὸν πρὸς Ἐρυθραίους πόλεμον συνδράμειαν.

<sup>8)</sup> Herod. I. 14 — 18: I. 169.

<sup>9)</sup> Herod. I. 170.

